



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiарvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum mala Deo nolente vel volente fiant. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Illuminat omnem hominem venientem in hunc *Ioan.1.4*
 mundum: non quia nullus hominum est qui non
 illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.
 Potest & alio modo illud intelligi, dum tamē
 credere non cogamur omnipotentem aliquid fieri
 voluisse, factumq; non esse: qui sine ullis ambi- *Ibidem in fa-*
guitatibus siue in celo & in terra sicut veritas can *nec cap.103.*
tat, omnia quæcumque voluit fecit: profecto face-
re non voluit quæcumque non fecit. Ex his aperte
ostenditur quod Deus ea voluntate quæ ipse est,
non vult aliquid fieri quod non fiat, neque non
fieri quod fiat.

*Vtrum mala Dei voluntate fiant, an eo
 nolente.*

D

Ideoque cum constet omnia bona quæ sunt,
 eius fieri voluntate, quæ si fieri nollet nullatenus
 fierent, rectè queri solet, vtrum & mala omnia
 quæ sunt id est peccata, Dei fiant voluntate: an
 nolente eo fiant? Super hoc diuersi varia sentien-
 tes sibi contradicere innenuntur. Alii enim dicunt
 quod Deus vult mala esse vel fieri, non tamen vult
 mala. Alii verò q; nec vult mala esse nec fieri. In hoc
 tamē cōueniunt & hi & illi, q; utiq; fatetur Deum
 mala nō velle. Vtriq; vero rationibus & authorita-
 tibus innituntur ad muniendā suam assertionem.

Quare dicunt quidam Deum velle mala esse vel fieri. E

Qui enim dicunt Deum mala velle esse vel fieri,
 suam his modis muniunt intentionem: Si enim,
 inquiunt, mala non esse vel non fieri vellet, nul-
 lo modo essent vel fierent: quia si vult ea non es-
 se vel non fieri, & nō potest id efficere, scil, vt non
 sint vel non fiant, voluntati eius & potentiaz ali-
 quid resistit, & nō est omnipotens, quia nō potest
 quod vult: sed impotēs est sicuti & nos sumus, qui
 quod volumus quandoq; non valemus. Sed quia
 omnipotens est, & in nullo impotens certū est nō
 posse fieri mala vel esse nisi eo volente. Quomodo
 enim